Nr. 188) Clariss. Doct. Alberto Hardenb. Emdae. Pax Christi.

Venerande frater & Doctor clarissime. Tuae litterae tam piae tamque ardentes non me minus recrearunt, quam si
ab inferis excitatus essem. Nam meus animus partim onerum pressu, partim innata quadam ignauia, sic plerumque in
arctum cogitur ut aegre se possit attollere. Nunc praesertim quum anni recedentes, adimunt alacritatem, & augent
vitae incommoda, vix queo compositum suaque se vocatione oblectantem spiritum in meo pectore retinere. Itaque
quum istinc Gerardus qui tuas mihi reddidit reuerteretur, sedebam mecum ipse stomachans non aliter affectus
quam ille olim Propheta in Cucumerario, cuius ut calidum pectus mascula bilis accenderat: ita caluum caput
intolerabili solis feruore aestuabat. Caeterum ubi perlectis tuis litteris cognoui hanc mihi communem tecum
sortem esse, recepi animum, et me ad quandam longi temporis indefatigabilem patientiam accinxi.
Vel obruant me fluctus laborum, & aerumnae absorbeant. Dominus tamen eiiciet me in aliquod litus.
Subleuabit à corruptione animam meam Dominus Deus meus. Nec sane probo illam morosi hominis
iniustam querimoniam. Melius esse mori quam viuere. Cuinetiam dum mecum non sine pudore reuolu-
uo quam multis magnisque beneficiis me DEUS homuncionem valde contemptibilem, in hac vita cumu-
lauerit, quocunque me verti, eadem beneuolentia me constanter persequutus: etsi mortem quae DEI
filio me sistet non refugio, tamen non recusem, si ita res postulet vel Tithoni senectam in Scho-
lasticis laboribus alacriter consumere, dummodo possim piis officiis gratificari Christo, & aliquid eius reg-
no afferre amplificationem. Sed quorsum haec? Scilicet ut meam mollitiem in carne, in te intuens
eiiciam quantum queo, & supernae virtutis subministrationem ardenter efflagitans, nec debiliter tedio,
nec diuturnitate languescam. Sed puerile est et Scholasticum quidquid ego molior: Tua autem isthic
tam dura prouincia quae te tanquam Heroa quendam Christianae gentis tam grauiter cogit ingemisce-
re, non mediocriter me perturbat. Tuus enim animus cuius character est epistola, cum anxia quadam
sollicitudine conflictari videtur. Scilicet ut plantae aqua mediocri aluntur, immodica suffocantur:
sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur. Sed tamen fidelis est Dominus, qui
ubi onus, ibi & vires auget. altera manu premens, fulcit altera. Et quamuis ad frangendam
carnis nostrae duritiem asperius nobiscum agere et supra vires nos onerare videri interdum possit,
intus tamen ipse nos confirmat spe liberationis, et. sedat impatientiam, & respicit aerumnas nostras.
nec enim clementiae et bonitatis à qua pendemus, obliuisci unquam potest. Facessat igitur anxietas,
cesset querimonia, ut omnes vires tum animi tum corporis quasi raptim in DEI obsequium rogantur.
Non possunt quidem sic esse compositi affectus quin subinde tumultuentur et εὐθυμίαν turbent: sed
effundamus coram DEO corda nostra, et spem bonam, velut animae ancoram figamus in DEO cruci-
fixo, nulla impressio nos deiiciet nulla fluctuatio nos demerget. Sed quid ego haec? Mi Domine
et frater ignosce studio et amori meo. Vale. cum dulci et religiosa coniuge. Bremae. Nonis Febru-
arii. 68. De eo quod Gerardus renunciauit scribam aliàs. nunc constringor variis curis. me
ipse respicere non queo. meae preces etsi non multum habent ponderis, tuam salutem indissolubili
nexu cum mea coniungent. iterum vale.

Johannes Molanus.

Nr. 189) Clariss. Doct. Casparo Olewiano Heidelbergae. Pax Christi.

Si vales Doctor clarissime: gaudeo, et DEO gratias ago. Ego hunc annum totum in magnis angori-
bus detentus, beneficio et virtute Spiritus CHRISTI, caput sustuli, et in latitudinem emersi. Sed heu
miseriam. Dum meditor respirare, et lapsis rebus melius considere: alia aegritudo interuenit, publica il-
la quidem: sed quae priuatim omne meum consilium incertum reddidit, spes & rationes omnes euertit.
Quoniam autem in rebus perplexis plus videt tua prudentia quam meus inops animus potest cogita-
re: et soles liberaliter cum bonis tuos sensus communicare. exponam simplicissime quid sit quod
me cruciat, et breuissime. Mense proximo ab legatis Caes. M. et aliorum principum quibus id erat
commissum, ciuitas reddita est eis quos purioris doctrinae odium excusserat. Exciderunt isti qui-
dem gradu honoris. viuunt enim priuatim in numero ciuium: sed tamen in eo triumphant, quod

Bremensia T. II. f. 604
[= Hscr. A. 12: Nr. 138]
[= Hscr. A. 12: Nr. 139]

Patriam vindicarunt ab omni contagio (ut ipsi loquuntur) Sacramentariæ factionis. Nam legatis solenni ritu verba praeeuntibus, iunctis utrinque dextris conspiratum est in Decreta Confessionis Augustanæ, & Apologiæ, & Catechismi Luteri. et Ordinationis Ecclesiæ Bremensis & recessus francofordiani & quid non? Nominatur quidem inter haec fundamenta concordiæ etiam Scriptura biblica sed ut Corchorus inter olera. Legatis honorifice et acceptis et dimissis, vulgata est formula consensus ad vertudnum suspensa tabella. Nempe ut in posterum utraque pars apud usitatam in Saxonia doctrinam præsertim de Sacramentis. utroque pede consistat. atque adeo (quod est gravissimum) ne quis feratur vel in urbe vel in ditione qui in Schola aut in Ecclesia docere aliter præsumat. Equidem non absterreor his Larvis quo minus utar ea libertate doctrinæ & gubernationis Scholasticæ quam nuper frequens Senatus revocato spopondit: sed quid mihi sit exspectandum exitus ostendet. Nunc illud addam quo pertinet mea narratio & in quo tuum consilium requiro. Ex quo ista confœderatio facta est, qua mihi videntur nostri, veritatem & decus DEI, adversariorum ludibriis prostituisse: religio mihi fuit Ecclesiasticis congressibus interesse, tum quia qui in templo nostro sermonem loquitur, & doctrinæ puriori planis tibiis maledicit, et Sacramentum manifeste in Idolum convertit: tum etiam ne videar approbare dissimulando hanc fœdam defectionem ab agnita veritate. Si quis error temere irrepsisset, non desererem aggregationem. Sed quum haec sit voluntaria apostasia, non molior aliquam reformandi arrogantiam, nõ hoc est mei muneris, sed velut unum ex Ecclesiæ membris non videor illæsa conscientia hoc jam canum caput posse illorum clamoribus subiicere qui sermonem veritatis contumeliis afficiunt, qui Idola defendunt, qui pios Christi Ministros partim hinc eiectos, partim mortuos furiosis execrationibus insectantur. Breviter qui et DEO non placent, et hominibus obsistunt ne salvi fiant. Cui Scholam servatam vellent, intelligentes quid mihi impendeat: auctores sunt ut non nunquam me illuc sistam, & facerem, nisi quæ nunc hic à malis operariis geruntur, cum publica totius Senatus consensione gererentur. Sit satis quod olim cum mala conscientia in patria missas audivi ne dissiparem scholas. Eo nunc sum animo non eam si bis sit moriendum.

Age igitur Doctor prudentissime simul et optime per communem [illegible] Christi [illegible] rogatus rescribe vel [illegible] tuum [illegible] meo judicio [illegible] solum ut [illegible] animum quietum reddas sed etiam ut efficias ne desit quod respondeam quibus [illegible] neque malis neque [illegible] hominibus qui [illegible] rigorem et superstitionem [illegible] et corrigendum putat. [illegible] autem [illegible] annis [illegible] ego [illegible] Ecclesiæ propter doctrinæ [illegible] ingenua [illegible] et [illegible] unde potius [illegible] salutare possem [illegible] rescribe vel [illegible]. Vale. [illegible] fratri tuo salutem precor et magnos in studiis progressus. [illegible] meum [illegible] fratrem et Theodorum Lambertum et alios [illegible] nostros [illegible] commendo. Septimo Idus Aprilis. 1568. Bremæ in Schola tui studiosiss.

Johannes Molanus.

M. Herardo [illegible]

Pax Christi.

Venerande Socer et frater dilecte. Nuper ad me reversus Vesaliensis ille puer Abrahamus retulit isthinc mantilia decem et pulvinaris exuvium unum: sed nullas reddidit literas quod fuit mihi submolestum. Tuis quidem tam seriis occupationibus facile do veniam. At Sororis silentium qua misit sarcinulam, quid sibi velit non intelligo. Nolim arbitrari offendi quenquam quod sicut inter nos convenit, fructum saltem earum rerum usurpo quarum et vobis satis magna copia est et mihi penuria. Nam mea dulcis Coniunx sic repente meis oculis subducta, non luctum modo reliquisse mihi videtur, sed etiam egestatem. Res familiaris sic convulsa disiectaque est, ut non sperem me posse ex istis ruinis emergere. Cui vellent conservatam hic Scholam valde me stimulant ad hanc viam de integro ineundam. Et quidam patriotæ nuper bonam aliquam spem procul ostenderant, Sed nescio quo modo, deiectus animus meus non potest assurgere. Tum autem corporis vires ipsa concidit paulatim & contabescit. Itaque in diem vitam trahens, à Domino consilium rebus lapsis et auxilium exspecto. In tabulis rationum domesticarum satis adhuc sum dives. Laus DEO: sed qui nobis debent, quid reddant? tum orbo, tum exuli, et semimortuo? In re familiari qua iam partim attrita, partim dissipata est, nisi aliam rationem reperero non effugiam scopulos paupertatis. Adeo sublata vitæ socia, spes opesque huius exilii è manibus fluxerunt. Sed ego me fulcio, quantum queo cogitatione rerum æternarum, quarum fructum non arbitror longè ab homine abesse. Nunc audi pauca de statu publico huius civitatis. Nuper à Cæs. M. Legatis civitas reddita est eis quos excusserat dissensio doctrinæ. Exciderunt illi quidem sua dignitate, vivunt enim privatim

Nr. 190) [= Hauser, a. 12, Nr. 140]

a b [illegible]